

## SALUTATIO PRAESIDENTIS REI PUBLICAE

Annus praeteritus Finlandiae et nobis civibus eius peculiaris fuit, quod hoc anno iubilaeum patriae abhinc 100 annos sui iuris factae celebramus. Primum saeculum nostrum multum in se continet. Duris temporibus superatis hanc terram coniunctim bonum locum ad habitandum et vivendum fecimus. Institutio et cultus humanus ad successum Finlandiae plurimum contulerunt et adhuc conferunt.

Lingua Finnica cum litteris artibusque causa erat, cur sensus propriae nationis crearetur et fundamentum Finlandiae suae potestatis faciendae iaceretur. Jyväskylä, quae etiam Athenae Finlandiae vocantur, in iis sedibus principalibus est, unde historia scholae elementaris sermonis patrii initium cepit. Iam diu est, cum haec urbs eo tendit, ut lingua, institutio, cultus civilis Finno- rum provehantur.

In conventu culturali Athenis Finlandiae vocato hoc anno potissimum ea vocabula nova considerantur, quibus Wolmar Schildt-Kilpinen linguam Finnica locupletavit. Is erat medicus regionis Jyväskyläensis, qui non solum munere suo fungebatur, sed etiam vir de cultu civili varii generis optime meritus et linguarum peritissimus erat. Hereditas eius in sermone cotidiano adhuc vivit. In vocabulis ab eo creatis sunt *taide* (ars) et *tiede* (scientia), quibus duobus etiam feriis Athenis Finlandiae, quae iam 10 annos complent, honor habetur.

Feriis Athenis Finlandiae anniversarium sollemnem agentibus ex animo gratulor ac curatoribus et participibus optimum iubilaeum Finlandiae 100 annos liberae exopto.

*Sauli Niinistö*  
Praesidens Rei Publicae  
Patronus eventus Athenis Finlandiae 2017

(käännös: Reijo Pitkäranta)